

§. 9. In qua quidem Commissione, ab illis, qui Jura sua sufficienter liquidabunt; in partem sumptuum, quos Sacra Regia Majestas, in praeterito diuturno Bello Turcico, pecunia quamplurimum gravibus usuris mutuata et adhuc debita pertulit; Proportionata Quotta conferatur.

De Emendatione Legum et Celebratione Judiciorum.

A rticulus 24.

Ut Juris et Justitiae administratio, sine qua Regna subsistere non possunt, tam per hoc Regnum, quam Partes Eidem annexas, amodo imposterum exactius celebretur: annuente Sua Caesareo-Regia Majestate Status et Ordines concluserunt:

§. 2. Ex parte vero Croatiae: Dominus Episcopus Zagrabiensis: Item Daniel Rauch, Vice-Banus; Joannes Branyug Protomoſtarius et Georgius Czindery; cum facultate in locum decedentium, vel legitime absentium, alios ad suae Majestatis ratificationem substituendi, in Hungaria quidem penes Dominum Palatinum; in Croatia vero penes Dominum Banum permanente.

De Processu Fisci Regii.

A rticulus 25.

§. 3. Sed Fiscus Regius, coram Regni Ungariae Palatino, aut Judice Curiae Regiae; *) in Croatia vero, coram Regni ejusdem Bano, sive celebrentur Octavae, sive non, vel in ipsis etiam Octavis, Praetendentes, si fuerint, ad mentem praecitati Tituli 67. Partis primae, ad ipsam Privilegiorum, Juriumque suorum eductionem, sola insinuatione Judicis praemissa, convenire, adigereque possit, intra Annum a morte Deficientis computandum.

Pro rectificatione Metarum cum Vicinis Provinciis, Commissarii denominantur.

A rticulus 39.

Quandoquidem ad demissam Statuum et Ordinum Instantiam, in Metarum, inter Vicinarum Provinciarum et Regni Ungariae Limites, multis retroactis Annis Controversarum Reambulatione effectuanda, Sacra Caesarea Regiaque Majestas clementer admisisset; ut stante praesenti Diaeta denominentur Commissarii, qui ejusmodi Reambulationem justo modo concludant, conclusamque, pro ratificatione Eidem Caesareo-Regiae Majestati humillime referant; super hactenus decisio[n]is vero, ac ab Executione duntaxat pendentibus Metarum Revisionibus, comperta rei ve-

*) Confer; An. 1741. a. 23.